Winkler Martinus In solenni actu promotionis Artium l. Th. Doctoris. – collatio.

IN SOLENNI ACTV
PROMOTIONIS,
Trium Sac: Th: DOCTORUM,
in Vniuersitate Crac: PP. & AA. RR.

JACOBI BALTAZAROWIC,
CANONICI Crac: & Vniuers: Gener: RECTORIS,
IOANNIS MICHALSKI, Præpos: S. FLORIANI.
FRANCISCI PRZEWOSKI, Decani S. ANNÆ.
raro exemplo, & incomparabili Regiæ dignationis, & beneuolentiæ argumento, summum Actui decus & coronamentum dante Augustâ & coronatâ præsentiâ

SERENISSIMI, & INVICTISSIMI REGIS
IOANNIS III. D. D. Clementissimi;
magnoq; totius Aulæ cæterorumq; suis Titulis spectatissimorum Hospitum, concursu & frequentiâ: post decisas à singulis Magistraliter, & disputatas antè, QuæstionesTheologicas, tam ratione Licentiaturæ, quã ratione Doctoratûs, quas Vesperias vocant, expeditamq; publicè Professionem Fidei Catholicæ: Insignium Doctoralium per Promotorem

A. R. MARTINVM WINKLER,
eiusdem Facultatis Doctorem & Professorem,
linguâ & calamo publicata collatio;
in Ecclesia S. ANNÆ.

Anno Dñi, 1684. Die 27. Mensis Ianuarij.

A Pulcher

PVlcher laudis amor, & quæ ſola, Sapientibus etiam, nouiſsimè exuitur, gloriæ cupido, nobile ingentibus auſis calcar, & Heroum nonniſi certiſsimus index atq; nota, igneas mentes ſuâ dulcedine cùm implet, magis accendit, & ad ſummum decus ſummâ ope eluctatur. Non aliud porrò, ad hæc Theſſala Tempe, amænoſq; locos, Regium iter eſt, quàm famoſum, non illud quidem, cæcis iam & videntibus, haud ignoratum, virtutis ac voluptatis biuium, ſed biuium aliud, ſeu Palæſtra Herculis, ſiuè fortium Virorum Imperatoris, ſiuè eiuſdem Muſagetis, hoc eſt Comitis Duciſq; Muſarum: nam vtrumq; nobis ſeria Vatum carmina decantauere. Honeſtiſsima vtrobiq; contentio; tam in ſtadio pacatæ Mineruæ, quàm haſta & ægide armatæ Palladis; non magis humanum exitiabile genus delendo, quàm donando immortalitatem; tàm per ſanguinolenta tela, brutaq; Martis fulmina, quàm per animi ingenijue vires, calamos, Libroſq; & innoxiam Muſarum ſupellectilem, Laurea comparatur. Quod ſi illa, quæ triumphis olim dicata, cæde nonniſi, ſtrage, & ſanguine conſtabat, tanti erat; quanti æſtimanda venit hæc, quæ pacis opus ac ſolatium, mitis atq; innoxij triumphi comes, ſaluberrimo inſtituto, à Martis caſtris, atq; horrentibus ſignis, ad pacis munia decoraq;, à Cæſarum Pontificumq; ianuis, quas inumbrabat, ad doctarum

rum

rum præmia frontium, translata est. Hæc demum, quæ non ex fictitij Apollinis luco, aut somniorum fabricatore Parnasso, alumnis suis decerpitur; sed quam Diuinorum interpres arcanorum, Princeps Facultas, æternæ felicitatis prodroma in terris Sapientia, dilargiri consueuit. Hæc sanè Vestrorum in Regno virtutis & sapientiæ, laborum ac vigiliarum, augusta nunc meta est, Sapientissimi Sacræ Laureæ istius Licentiati: audiuere Superi vota Vestra, quibus ad inuidiam felicibus damnati, vltra spei etiam Vestræ metas progressi estis, dum Lauream Theologicam, capitibus Vestris imminentem, non iam in Iouis Capitolini gremio deponitis, sed ante ora placidamq; luminum Maiestatem, IOVIS POLONI, supra omnes veterum Heroum Laureas Inuictissimi, Regnorum Christianorum Statoris, ac Vindicis, Serenissimi eiusdem ac fulminantis. Hoc profecto; maius priuato votum Vestrum erat; hæc iam est Famæ pars maxima Vestræ. Igitur ex meritorum velut templo, ad amplissimum hoc Honoris Vestri Theatrum, tandem faustum lætumq; ferte gradum, vt comprehendatis brauium, non euanida ementiti fulgoris spectra; sed vera solidæ dignitatis ornamenta, præclara ad omnem posteritatem Theologici Honoris Insignia reportaturi.

Illorum primum Vobis trado, Mitram Doctoralem; non indecorum Laureatis frontibus tegmen, Pileum Libertatis illius, quæ Vos, à seruili ignorantiâ, &

socordiæ atq; desidiæ mancipatorum abiecto grege separatos, in altissimam Filiorum Lucis, Sacræ Doctorum disciplinæ, Increatæ Sapientiæ Interpretum dignitatem transcribit. Color illius obscurus & nocti concolor, vigiles noctium curas, literatam lucubrationum fuliginem, & vni intentam contemplandæ profundissimæ veritati, aciem, Doctoribus seuerè obnuntiat: nè disgregent visum, interioremq; mentis pupillam, vana, fucata atq; caduca, sed vt congregent, sancta, inconcussa, atq; æterna. Incubans Circulo quadratum, admonet, solidi super Orbe Fortunæ constantisq; status, quem in omni vitæ statione seruare debet Sapiens; simul poscit ac desiderat velox eiusdē ingenium, mobile, rotundum, paratum velut in nūmerato, omnium capax disciplinarum.

Alterum est, aureus in breuem Orbem redactus annulus, qui fulgore suo atq; pretio accendere debet animos ad contemplandam Æternam illam Sphærā, cui⁹ centrū vbiq; circūferentia nusquā est. Equestris olim census insigne Romanis fuit; Vobis erit, veræ Nobilitatis, ab animo bonæq; mentis cultu, deriuatæ: quæ suam cuiq; de proprio laudem, hoc est, verum decus, rependit. Diua Facultatum Princeps Theologia, quam per tot vitæ sortisq; vias, expetiuistis Sponsam assumere, amatores facti formæ illius, cui non perfidum dixistis dudùm Sacramentum, ecce aureo hoc, qui scoriam rubiginemuè non contrahit,

arrha-

arrhabone, obligat ſibi Vos; digitoſq; Veſtros amplius æternitati laboraturos, hoc inſigni exornat, vt, veluti gemmæ nitentes, auro incluſæ, mutuum illi decus, quod ab eâ accipitis, ſanctè integrèq; reddatis.

Tertium, Liber eſt, aduerſus obliuionem ac vetuſtatis iniurias fortiſsimum pharmacum, ætatis noſtræ, cum clariſsimis omnis æui ingenijs, vinculum quoddam & coagulum, ſolum, quod mori non nouit, ferreæq; temporum gulæ obſiſtit, ære perennius monumentum, ſolaq; digna Doctore ſupellex. Liber qui debet eſſe Doctori, non ſegnis otij magnificum velamen, non vanæ iactantiæ & oſtentationis argumentũ, velut vaſorum Corinthiorum, tabularumue pictarũ, aut ſtatuarum, ornandis triclinijs, pretio conquiſitum ſpectaculum: ſed magnus immortalitatis & honeſti ardor, acuendæ induſtriæ intendendiq; laboris paratũ illicium, nè ignaui hæredes ſimus tot opum, quas nobis doctiſsimi Scriptores reliquêre. Clauſum itaq; hunc vobis primùm trado, vt quæ abdita ſunt, quæq; latent, iugi contentione quæratis; bene ſcientes, multo plura reſtare nobis diſcenda, ijs quæ didicimus. Eundem, trado apertum Librum, vt quam gratis accepiſtis, ſine inuidiâ communicetis doceatiſq; ſapientiam.

Oſculo deinde pacis, Diuinæ Sapientiæ nomine, Vos amplector, quod ipſum Cæleſtis Sponſa, ardenti flâgitauit deſiderio à Sponſo ſuo. *Cantic. 1.* Petit enim

osculum (mellifluo Doctore interprete) id est, Spiritum Sanctum inuocat, per quem accipiat simul, & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum. Et bene scientia, quæ in osculo datur, cùm amore recipitur, quia amoris indicium, osculum est.

His muneribus atq; honoribus ornati, Cathedram Doctoralem conscendite, fortiter occupate portum, & votorum Vestrorum, & spei publicæ, vt in hac speculâ, fulgeatis & luceatis omnibus hominibus, in puritate vitæ, & professione veritatis: Quos ego interea in vniuersum & singulos Authoritate Apostolica. &c. &c.

GRATIARVM ACTIO.

VIrentibus perpetuo Gratijs innexus semper erat Musarum chorus, insigni documento, beneficiorum memoriam, nunquam tristi senio solui debere, sed integram vigentemq;, Literarum ope, in animis mortalium perennare. Omnes sanè Gratiæ, cùm in hodierni Actus Coronam conuolarint, quis non æquum omnino & consentaneum arbitretur? cæptum ab ijs opus, in ijsdem consummari. Illarum igitur primùm Authori, omnisq; boni Principio & Fini Deo Opt: Max:, cui totum nostrum esse, moueri, sentire, ac intelligere subest, quidquid actum dictumuè hactenus est, inscribimus, & quantum Factori suo vile opus, substernere se, subijcereq; potest, tantum facimus; cum simus puluis & cinis ante Dominum.

Incar-

Incarnatæ Sapientiæ Matri, B. V. Deiparæ; ac toti triumphanti Curiæ Cælesti; Diuisq; Regni huius, Patriæ, Vrbis, & Iagelloniani istius Lycæi Tutelaribus ac faustis Genijs, appendimus votiuum anathema cultûs, ipsis, à mortalitate nostrâ debiti, omnes nostras Literas, illis in clientelam damus, & sub vmbram magnarum alarum cogimus, eò scilicet, quò æstus aut turbo Musis aduersus, pertingere non possit, vt vetus hæc, abundè olim toti Regno sufficiens Nutricula, studiorum Septemtrionalium, vel inrer tonitrua fortunæ, Alma semper Parens, nunquam effæta maneat, etiam cùm se consumptam putauerit, oriatur, vt Lucifer.

Secundum Deum ac Superos, prima in terris, ac suprema Actus præsentis Gratia: omni gratiarum actione maior; imò Diuinæ Gratiæ, Orbi, non iam soli Lechico, sed toti verè Christiano, non sine ingentis miraculi fide, recens ostentatæ, maximum Munus & argumentum; demissum cælo, fatale tutandæ propugnandæq; Fidei Ancile; Salus ac Faustitas electi Populi, strages ac pernicies Barbari; Tu, oculis, animis & cordibus omnium occurris, & suauiter illaberis. SERENISSIME REX. Domine noster Clementissime. Hæremus omnes, velut turbulento somnio circumamicti, mihiq; ipsi, qui canora vox omnium & publicæ gratitudinis Lingua esse debui, en vox faucibus hæret, nec satis verba luctantia expedit, quibus laudes

Tibi,

Tibi, vel inuito, gratesq; ingeramus. Ea est sermonis humani inopia & exilitas, magnitudine coram Tui Nominis, quæ cum altius ascendere non posit, solo descensu hodierno, maiorē fieri posse adinuenit: dum hoc laudandarum disciplinarnm domicilium ac templum, aspectu, qui cuncta serenat, illustrius & sanctius reddere, his angustijs arctare Maiestatem Tuam vltra Solis anniq; vias porrectam, Tuumq; hoc Augustum os, cuius spiritu, tot populorum vita ducitur, nobis ac Musis spectandum venerandumq; præbere voluisti. Debuerat hîc totis visceribus purpurata triumphare Eloquentia, hîc ore profundo ruere, omnem effundere apparatum, omnes flexanimæ Deæ tripodas, omnia æra sonora concutere: sed, qui tot admirandis, mortale fastigium, Teq;, ac Famam excesisti, dabis veniam, si, consumpto omni loquendi sonādiq; artificio, solum stridet crepitaculum raucum. Ergo pertinax pro Te Superum fauor, nostram fulciat sustentetq; imbecillitatem, dumq; nos non possumus, illi pro nobis referant Tibi Gratiam: continuent firmare Domū Tuam Regiam, ijs munimentis, in quibus semper viuas REX, semper triumphes Victor, semper audias hostium & inuidiæ Terror: stabiliant in manibus Tuis Palmam hanc nobilem, quâ Christianum Orbem, ab æstu Threijcij fastus inūbras, quæ Te, viuentem vidētemq;, euehit ad Deos, cæloq; iam ac syderibus infert, dignâ sanè, licet inusitatæ virtutis meritis, impare adhuc Apotheosi.

I,2 - 48